



## I. Abtheilung: Abhandlungen.

### De Scala Jacob,

Humilitatis gradus per quos ad Coelum ascenditur, ad mentem  
sancti Patris Benedicti tropologice significante.

Dissertatio.

Scriptis D. Philippus Claramunt, O. S. B., mon. Montserratensis.

Si summae humilitatis volumus culmen attingere, et ad exaltationem illam coelestem, ad quam per praesentis vitae humilitatem ascenditur, volumus velociter pervenire; actibus nostris ascendentibus scala erigenda est quae in somno Jacob apparuit.

Reg. 8. Benedicti, cap. VII.

a) B. Pater noster Benedictus, postquam de humilitate atque superbia generaliter dixit: „Clamat nobis Scriptura divina, fratres, dicens: Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur,“ docet filios suos quomodo humilitas in homine exercenda sit vitandaque superbia, ut exaltationem quae humilibus a Domino promittitur, mereantur: et Psalmistae adducit exemplum de seipso dicentis: „Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; neque ambulavi in magnis neque in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam; sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.“ Quibus Psalmistae verbis vult S. Benedictus indicatum, quomodo humilitatis scala qua ad coelum ascenditur, a nobis erigenda sit; siquidem admonet nos, per eadem verba indicasse Psalmistam ab omni genere se cavere superbiae; nam quibus actibus superbiam fugimus, iisdem profecto humilitatem sectamur. Et ideo a citatis Psalmistae verbis proficiscens, pergit B. Benedictus declarare quem in humilitatis exercitio servare monachi

debemus progressionis modum: et incipiens a symbolica progressionis ejusdem repraesentatione per mysticam scalam quae Jacob in somnis apparuit, suum de humilitate sermonem prosequitur dicens: „Vnde, fratres, si summae humilitatis volumus culmen attingere, et ad exaltationem illam coelestem, ad quam per praesentis vitae humilitatem ascenditur, volumus velociter pervenire; actibus nostris ascendentibus scala erigenda est quae in somno Jacob apparuit, per quam et descendentes et ascendentes angeli monstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille et ascensus a nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere et humilitate ascendere. Scala vero ipsa erecta, nostra est vita in seculo, quae humiliato corde a Domino erigitur ad coelum. Latera enim hujus scalae dicimus nostrum esse corpus et animam, in quibus lateribus diversos gradus humilitatis vel disciplinae vocatio divina ascendendos inseruit.“ Sic itaque, juxta S. Benedictum, est erigenda scala nostrae ascensionis in coelum, ut in actibus humanitatis nostrae, quae anima et corpore constat, neque cor exaltatum, neque elatos oculos geramus, neque ambulemus in magnis nec in mirabilibus super nos.

b) Si humilitas sit in corde, erit etiam in oculis, in ore et in opere; siquidem ex corde vita procedit: at possibile est superbiam esse intus in corde, foris autem in oculis, ore vel opere humilitatem simulari; quia quanto quis corde superbia inflato despicit proximos suos, tanto in alta existimatione sui desiderat ab eis honorari; et quoniam superbia quam habet in corde, foras prodeunte, odiosus ipsis fieret, non laudabilis, ideo contra pravam cordis affectionem cogitur agere exterius illam cohibendo, ut qui in suae superbiae manifestatione impotens est aliis dominari, superbum saltem animum pascat eorum laudibus, quas ficta captat humilitate. Verum quia omnis arbor mala malos fructus facit, non multum valet dicta simulatio durare, ut de pravo cordis desiderio nihil in actibus reveletur externis; sed naturaliter foras erumpit virus venenati cordis, prout appetitus aut delectabilium movetur illecebra, aut sibi repugnantia aversatur. Sed sive superbia cordis manifestetur exterius, sive per humilitatis simulationem occulta maneat, semper arbor mala malos fructus facit, tum quia tota est intus in corde pravorum actuum malitia, de corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, etc., tum quia plus plerumque periculi est animabus in simulata hypocritae humilitate quam in scandalo superbiae manifestae; propter quod oportet haereses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in nobis, nam jubemur non omni spiritui credere, sed probare spiritus si ex Deo sint. Nihilominus sub alio respectu plus mali est in superbia manifesta quam in occulta, non modo ratione scandali aliorumque damnorum proximi, sed etiam quia peccatum

externum occasio est augendae internae malitiae, quatenus pabulum suppeditat animo nequam ut actus superbiendi efficiatur intensior, et fortasse etiam, nova objecti specie superveniente, deformior. Non ergo sine causa ab externis quoque actibus superbiae cavere docemur in verbis Psalmistae dicentis: „Neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis neque in mirabilibus super me.“ Quid enim est oculorum elatio de qua loquitur Psalmista, nisi tumentis spiritus arrogantia? Quid vero ambulare in magnis et mirabilibus super se, nisi vana de se praesumptione, quae proprias vires superant opera, vel timere aggredi, vel a se jactare facienda? Contra utrumque superbiendi modum docet S. Benedictus filios suos non solum corde coram Deo, sed etiam corpore et verbis se humiles exhibere; quod nempe tremendum Dei iudicium cogitantes, inclinato sint semper capite defixisque in terram aspectibus, de se timentes propter peccata sua; quod se omnibus inferiorem et viliozem non solum sua monachus lingua pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu. Quoniam vero omnis actus malus, uti diximus, de corde, sicut et bonus, procedit, de cordis praesertim exaltatione loquamur.

c) Cum superbia et cordis exaltatio, prouti hanc modo accipimus, unum idemque sint, tres modos vel gradus exaltati cordis, juxta triplicem superbiae distinctionem quam in alia de humilitate dissertatione dedimus, considerabimus. Superbia enim spectari potest generice, quatenus in omni peccato involvitur, id est, in omni divinae legis transgressione: specificice, quatenus species peccati est a reliquis distincti, et in appetitu consistit dominationis ac principatus: denique in consummatione, quatenus est apostatare a Deo. Exaltatur itaque cor, primo sibi placere desiderans; unde quaerit vitae commoda, aversatur molesta; et inde, quum necesse est, ut appetitui satisfiat, non dubitat saepe transgredi Dei praecepta. Contra hunc superbiendi modum docuit nos Christus humiles esse, qui non sibi placuit, et quae Patri suo placita erant, fecit semper. Nihilominus diversimode valde accipiendum est non sibi placere respectu nostri et respectu Christi. In Christo, respectu suisipsius, humilitatis causa fuit, humiliationis non fuit: siquidem tamquam Dei Filius, dignus erat omni honore apud Patrem; in humanitate autem sua, sanctissimus et perfectissimus: nihilominus humilis tamquam homo esse debuit et debet sicut omnis creatura, imo omni creatura humilior, quatenus perfectius omni creatura absolutam cognoscit dependentiam creaturae a Deo et infinitam Divinae Majestatis gloriam. Quod autem ipse Christus humiliationem, et quidem multiplicem, pati voluit, hoc, respectu Dei Patris, obsequium amoris et obedientiae fuit; respectu autem nostri, dispensatio misericordiae. Christus itaque non sibi placuit ex charitate; nos

autem oportet ut non nobis placeamus etiam ex necessitate: quia nos non modo debemus a multis per se licitis abstinere ut proximo indigenti subveniamus, vel ut eum non scandalizemus, sed etiam ex spiritu poenitentiae ad satisfaciendum divinae justitiae ob peccata commissa, nec non ratione periculi in quo versamur quum indulgentes sumus desideriis cordis nostri. Multo autem magis debemus non nobis placere concupiscentiam sectando nulla ratione habita liciti vel illiciti. In hoc ergo sensu Christus non sibi placuit, quod cum fruitio omnium bonorum ipsi deberetur, paupertatem, ignominiam et dolorem libenter sustinuit, ut nos disceremus ab eo vitae commodis renuntiare, propter quae non raro minus obsequentes sumus voluntati Dei. Longe sane erit a nobis propter bonorum temporalium fruitionem in Dei offensam incurrere, si non propter bona ipsa Deo serviamus, sed contra Deo propter se fideliter servientes, quae nobis sunt necessaria, a paterna sua erga nos providentia securi speremus; quod Salvator noster exemplo suo nos docuit, quum post quadraginta dierum jejunium naturaliter esuriens, tentatori suggerenti ut lapides in panes converteret respondit: „Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.“ Itaque idem est non sibi placere atque propriam voluntatem relinquere, et ad Dei beneplacitum totam componere vitam. Quod perfecti quidem viri est obtinere; sed proficientis quoque ad illud per virtutum exercitium properare; et incipientis, ipsum in votis habere et efficaciter concupiscere. Abraham vere non sibi placuit, qui de terra sua egredi a Deo jussus, et de cognatione sua, et de domo patris sui, haec omnia aequo animo reliquit, ut Deo se vocanti obediret; et egressus nesciens quo iret, totum se divinae voluntati commisit. Qua in obedientia fidelis Abraham omnibus qui Deo placere cupiunt, exemplar in Scriptura proponitur, quatenus de seipsis per propriae voluntatis abnegationem opus est egrediantur, ut virtus Dei, per quam in christiana perfectione proficiant et consummentur, habitet in eis. Et hoc est quod B. P. N. Benedictus intendit, dum in tribus primis ex duodecim quos in sua Regula tradit. humilitatis gradibus ad tres cordis ascensiones in abnegatione propriae voluntatis nos provocat, praecipiens in primo ut nostram non faciamus voluntatem ob timorem judicii Dei: in secundo, ob amorem divini beneplaciti; proponit enim ibi exemplum Domini dicentis: „Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me;“ porro non abnegavit Christus suam voluntatem propter timorem servilem divinae justitiae, neque propter malum concupiscentiae, quae pertinent ambo ad primum humilitatis gradum, et locum non habebant in Christo, sed per charitatem cum timore reverentiali Patri obediens fuit: in tertio denique docens monachum omni obedientia se subdere Majori pro amore Dei, ad imitationem

Domini, de quo dicit Apostolus: „Factus obediens usque ad mortem;“ majoris enim perfectionis est creaturae propter Deum quam Deo ipsi obedire. — Secundo exaltatur cor elatione oculorum, magna et mirabilia de se praesumens. Hunc superbiae gradum si forte Christus haberet scire volens diabolus, assumpsit eum in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi, et dixit ei: „Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.“ Sed quid pater mendacii nisi mentiri novit? Vtique promittitur angelorum protectio iis qui in Deo confidunt, qui habitant in adjutorio Altissimi; sed quid protectionis aut benedictionis a Deo sperare possunt qui Deum tentantes, magna, de se praesumentes, temere aggrediuntur et ardua, cum apud Jeremiam maledictus a Deo dicatur homo qui confidit in homine? Dominus autem Jesus diabolum per humilitatem ita delusit, ut vere sit fraudatus malignus a desiderio suo, quia neutrum eorum quae optabat, neque superbiam nempe nec divinitatem, potuit in Christo deprehendere; Dominus enim respondit ei: „Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.“ Talem superbiendi modum vitare debemus ascensiones in corde nostro per humilitatis exercitium disponentes in conversatione cum fratribus nostris. Nam inter infimum superbiae gradum, qui in consulendo simpliciter consistit propriis commodis ex inordinato amore sui, et summum, qui est independentiam a Deo concupiscere, hoc est intermedium, ut proximis suis quis praeponi desideret. Propterea B. Pater noster, postquam in tribus primis humilitatis gradibus docuit quomodo voluntatem nostram divinae obsequentem per obedientiam esse oporteat, in sex sequentibus modum et ordinem tradit nos humiles exhibendi coram proximis vel fratribus nostris. Et primo quidem coram Abbate, quem in quarto et quinto gradu respective, non jam tanquam repraesentantem Deum, sed tanquam hominem S. Legislator proponit, cujus et potestati dominativae obnoxium, et magisterio disciplinae se monachus debet profiteri submissum. Deinde vero coram fratribus; quia majoris meriti est erga aequales vel condiscipulos humiliter se gerere quam erga superiorem vel magistrum. Consistit autem gradus humilitatis sextus in eo quod postquam laudabiliter se gessit monachus apud Abbatem, non speret ab eo pro retributione caeteris praeponi fratribus et specialiter honorari; sed omni vilitate contentus sit quoad ea omnia quae temporali vitae necessaria sunt aut utilia, et ad omnia quae sibi injunguntur, velut operarium malum se judicet et indignum. Et pergens in humilitatis studio, non solum non se reputat caeteris digniorem in gradu septimo, sed omnibus se inferiorem atque viliorem et sua lingua pronuntiat, et intimo cordis credit affectu. Quid autem

rationabilis quam ut ita humilem se exhibens coram omnibus, ab omnibus in honore habeatur? et nihilominus qui ad humilitatis perfectionem anhelat, quidquam de se ob praefata merita minime praesumens, nihil agit in gradu octavo nisi quod communis monasterii regula vel majorum cohortantur exempla. Et non solum in factis de se non praesumens et aliis deferens, sed etiam de se timens vel in verbis, linguam ad loquendum prohibet in gradu nono, et taciturnitatem habens, usque ad interrogationem non loquitur, sciens quod in multiloquio non effugitur peccatum. — Tertio exaltatur cor apostatando a Deo, vel per formalem contemptum divinae legis, quia prohibet passionibus indulgere, vel per odium in Deum propter mala quae huic mortali vitae inhaerent, quaeque renuit homo patienter sustinere. Etiam circa hoc, ad nostram doctrinam et aedificationem, dignatus est Christus Dominus tentari a diabolo; qui assumpsit eum in montem excelsum valde, et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum, et dixit ei: Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Dominus autem respondens ei: „Vade satana; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies,“ docuit nos, non cadere adorando creaturam propter concupiscentiam, sed ascendere in sublime adorando Creatorem, quia servire Deo regnare est. Quanto quis in humilitate proficit, tanto magis Deum timet; quia humilibus Deus dat gratiam qua et fragilitatem propriam et Dei tremendam cognoscant majestatem: et ideo sicut consummatio superbiae est cor a Deo totaliter avertere ob inordinatum amorem sui, ita consummatio humilitatis est semetipsum totaliter abnegare ad adhaerendum Deo, ipsique in omnibus serviendum cum timore reverentiali. Exinde vero spiritus libertas nascitur, qua nec favore quis movetur humano, nec ab aliquo timet nisi a Deo; et suorum actuum vere dominus, in risu ostendit et in verbis, in verae pacis, quam Christus dedit nobis, fruitione omnem se despiciere vanitatem. Postquam igitur monachus humilitatis actibus se exercuit in conversatione cum fratribus suis, et per illos ad consummatum quid perfectionis pervenit, in gradu humilitatis decimo, seu primo e tribus ultimis qui ad consummationem pertinent, jam non est facilis ac promptus in risu, quia sapiens jam et prudens sanctorum scientia; stultus enim est qui in risu exaltat vocem suam. In gradu autem undecimo, cum loqui oportet, leniter loquitur monachus et sine risu, humiliter et cum gravitate, vel pauca verba et rationabilia, et non est clamorosus in voce, sicut scriptum est: — Sapiens verbis innotescit paucis. — Ponitur autem in tam excellenti humilitatis gradu rectus usus linguae, quia quis est qui non deliquerit in lingua sua? beatus plane qui lingua sua non est lapsus; qui enim in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Humilitatis autem plena

consummatio, quae in gradu duodecimo nobis a S. Patre proponitur, in eo sita est, quod cum ita laudabiliter et sancte in omnibus se gerat monachus ut etiam mereatur per gratiam Dei domare linguam, adeo demisse nihilominus de se sentiat, ut stans in charitate et exercitio bonorum operum, timeat semper ne cadat; et ab omni animi levitate cavens, Dei tamen iudicium semper formidet, juxta illud Apostoli: „Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum.“

d) Quare autem per has cordis ascensiones in humilitatis actibus scala erigi dicatur quae in somno Jacob apparuit, modo videamus. Porro per humilitatis actus nos ad coelum ascendere, dubitatur a nemine: sed utrum congruenter ad Scripturae sensum, narrantis visionem Jacob, progressio nostra in humilitatis actibus in scala Jacob repraesentata dicatur, hoc est quod modo inquirendum suscipimus. Significatio scalae ex verbis Domini scalae innixi et ad Jacob loquentis dignoscenda est. Quoties enim in aliqua visione id quod apparet in ea, potest diversa significare, per locutionem significatio ejus determinetur oportet. Sic v. g. haesitante Petro quidnam esset visio quam vidit hora sexta in domo Simonis Coriarii, in qua vidit coelum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de coelo in terram, in quo erant omnia quadrupedia et serpentina terrae et volatilia coeli, et vocem audivit dicentem sibi: — Surge, Petre, occide et manduca: — dixit Spiritus ei: „Ecce viri tres quaerunt te. Surge itaque, descende, et vade cum eis nihil dubitans; quia ego misi illos.“ Et vadens Christi Vicarius cum eis Caesaream in domum Cornelii Centurionis, qui miserat illos, per ea quae in ipsa domo Cornelii divinitus facta sunt, visionis intellexit significationem, per ea nimirum animalia quae sibi in visione ostensa fuerunt hora sexta, quando ipse esuriens aliquid cibi gustare volebat, cibum illum designari de quo Christus, veniens in civitatem Samariae quae dicitur Sichar, et sedens hora sexta, fatigatus ex itinere, supra fontem Jacob, dixit discipulis suis, qui offerentes ei cibos, rogabant eum ut manducaret: „Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis.... Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus“, salutem videlicet animarum: figurabantur enim per dicta animalia visionis nationes gentium, quae ad fidem Christi erant convertendae, et quarum primitiae Petro, tamquam visibili Ecclesiae capiti, publice atque solemniter in domo Cornelii coelitus oblatae sunt. Similiter ergo, ad intelligendam visionem Jacob, audiamus verba Dei, qui Jacob in somno apparens scalae innixus, dixit ei: „Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac... Et ero custos tuus quocumque perrexeris, et reducam te in terram hanc: nec dimittam nisi complevero universa quae dixi.“ Verba

haec significant manifeste Dei providentiam, Jacob consolantis et protegentis, qui propter Esau volentem occidere eum fugiebat in Mesopotamiam. Consequenter angelorum ascensus et descensus ministerium est quod ipsi a Deo missi exercent pro aeterna salute hominum; administratorii enim spiritus Hebr. I esse dicuntur, in ministerium missi propter eos qui haereditatem capient salutis. Et quidem non est cur alia de causa descendant et ascendant; ipsi enim sunt beati, fruentes visione Dei. Eorum itaque ascensus et descensus noster spiritualis profectus est, quia nostras ipsi preces Deo offerunt, et ex Dei erga nos misericordia salutaria charitatis officia nobis impendunt. Ascendente igitur angelo, nostra ad Deum ascendit oratio; angelo autem descendente, Dei ad nos descendit miseratio. „Quando orabas cum lacrymis, dixit angelus Raphael ad Tobiam, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino“: ecce angeli ascensus. „Et nunc, prosequitur S Raphael, misit me Dominus ut curarem te, et Saram uxorem filii tui a daemonio liberarem“: ecce angeli descensus. Angeli ergo ascendunt atque descendunt, quia utrumque importat eorum ministerium: nos vero ascendimus quidem, dum in Dei servitio et amore proficimus; dum vero a Dei amore deficimus, potius cadimus quam descendimus, juxta illud quod de diabolo dixit Dominus Jesus: „Videbam Satanam sicut fulgur de coelo cadentem“; ad cadendum autem non est opus scala sicut ad descendendum. Rursus angeli non gradatim, sed instanti ascendunt atque descendunt: unde visio scalae, respectu angelorum, significavit ascensum atque descensum simpliciter, non ascensionis et descensionis modum. Respectu autem nostri significavit etiam ascensionis modum, id est, per gradus; non vero modum descensionis, siquidem nostrum descendere cadere est: imo ad solam ascensionem, ut dictum est, scala ipsa deservit respectu nostri: nec ascensionem praeventelligitur, sed ascendendo erigitur; siquidem gradus ejus actiones meritoriae sunt quibus ascensio peragitur. Ideo dicit S. P. Benedictus: „Actibus nostris ascendentibus scala erigenda est.“ Quod autem ipse dicit, — exaltatione descendere, — intelligendum est per oppositionem ad ascendere; nam cadere respectu termini a quo, est etiam descendere respectu termini ad quem, juxta illud Ps. LIV: „Descendant in infernum viventes“ Bene etiam dicitur a S. Patre nostro latera hujus scalae nostrum esse corpus et animam: siquidem actiones sanctae, quae gradus scalae sunt, etsi ab anima suam habent dignitatem, sine corporis tamen inventu non eliciuntur. Jam si orantibus nobis angeli ascendunt mediatores nostri apud Deum, et ipsis descendentibus cum divinis donis nos proficiendo ascendimus, quid est talis ascensio nostra

nisi humilitatis exercitium? Nam oratio quidem, sed oratio humiliantis se ipsa est quae nube penetrabit; quoniam excelsus Dominus humilia respicit, et alta a longe cognoscit. Nam gloriam suam sibi reservans, pacem suam rationali creaturae communicat et omne bonum; nec aliud ab ea requirit nisi ut per orationem humilem dilatet os suum ad implendum illud. Os meum aperui, inquit David, id est, oravi, et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam, scilicet, quia meam a te omnimodam dependentiam agnoscent, tibi soli, Deus meus, servire cupiebam. Hic porro spiritus qui per humilem orationem attrahitur, robur tribuit ad arduam ascensionem in coelum; et per humilitatis exercitium conservatur et augetur. Vnde novas jugiter ascensiones in corde nostro disponere valemus, dum per fidem, spem et charitatem in Deum sublevamur, et per humilitatem nostrae exaltationis gloriam uni adscribimus bonitati ejus. Addit autem B. Pater noster, quod in lateribus scalae de qua agimus, diversos gradus humilitatis vel disciplinae vocatio divina ascendendos ineruit. Non quidem sine causa gradus isti humilitatis vel disciplinae esse dicuntur: quoniam aliud est humilitatem exercere in genere, aliud vero specialis exercendae humilitatis modus. Si enim humilitatis exercitium in genere spectetur, indifferens est, sive plures quam duodecim, sive pauciores numerentur humilitatis gradus; et etiam eorum ordo, sub diversis quidem respectibus, varius esse potest; dummodo tamen perfectio christiana in serie contineatur eorum. At vero S. P. Benedictus in tradendis duodecim humilitatis gradibus et ordine eorum prae oculis habuit familiae monasticae disciplinam quam ipse constituit, et sub qua monachi humilitas exercenda est. Postulat autem monastica disciplina humilitatem non solum in corde, sed in actibus etiam externis, ita ut humilem se exhibeat monachus in obedientia qua prompte, aequo animo et ad nutum Superioris mandata adimpleat; in spiritu poenitentiae, quo non solum quae a causis naturalibus proveniunt, patienter sustineat vitae molestias, sed in injuriis quoque tolerandis tamquam caecus se habeat aut surdus, ac si non adverteret quae contra se dicuntur vel fiunt, et sicut mutus non aperiens os suum; in paupertate quoad rerum temporalium usum; in sui contemptu nihil praelaturae ambiens aut honoris; in verbo denique atque in gestu, ut nihil haec arrogantiae redoleant, nihil vanae de se praesumptionis aut aliorum contemptus. Itaque primo inculcat S. Benedictus humilitatem cordis, cujus principalis effectus est spiritus obedientiae, nostrae videlicet voluntatis erga divinam obsequium, totius quidem perfectionis principium et fundamentum, quod in tribus primis humilitatis gradibus sub triplici motivo nobis proponitur. Et hi quidem gradus ad cordis potius intensionem pertinent, ut ego reor, quam ad executionem

operis: <sup>1)</sup> nam executio operis secundum ordinem monasticae disciplinae a gradu quarto incipit in quo Abbatis praelatura consideratur secundum regimen, cui monachus etiam in duris et contrariis rebus debet esse subjectus. Talem autem esse mentem S. Benedicti, videtur significari per illud Ps. 65: „Imposuisti homines super capita nostra“, quod in ejusdem gradus expositione S. Benedictus adducit. Ab obedientia quidem incipit, juxta doctrinam S. Benedicti, humilitatis exercitium, ut videre est in S. Regulae cap. V, ubi legimus: „Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora.“ Circa quod notandum est, quod hic primus humilitatis gradus cum primo eorum qui cap. VII numerantur, confundi non debet: nam cap. V sermo non est de humilitate, sed de obedientia; et ideo nulla ibi graduum humilitatis series innuitur, sed simpliciter dicitur quod humilitatis exercitium ab obedientia initium ducit. Unde in isto primo gradu qui obedientia sine mora esse dicitur, tres primi involvuntur eorum qui cap. VII numerantur. Et revera eadem sunt motiva quibus in tribus primis humilitatis gradibus capitis VII propriae renuntiamus voluntati, et quibus cap. V inculcatur obedientia sine mora. „Haec, ait S. Pater cap. V, convenit iis qui nihil sibi Christo carius existimant, propter metum gehennae, vel gloriam vitae aeternae“: et similiter cap. VII: „Primus humilitatis gradus est, si timorem Dei sibi ante oculos semper ponens, oblivionem omnino fugiat, et semper sit memor omnium quae praecepit Deus, qualiter contemnes Deum in gehennam pro peccatis incidunt, et vitam aeternam, quae timentibus Deum praeparata est, animo suo semper revolvat.“ Et addit cap. V circa obedientiam: „Sine dubio hi tales illam Domini sententiam imitantur qua dicit: Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me“: et idem dicit cap. VII de secundo gradu humilitatis, significans nimirum amorem divini beneplaciti; ipse enim amor, non timor gehennae vel spes retributionis, fuit motivum obedientiae Christi. Denique cap. V declarat S. Benedictus motivum obedientiae quae majoribus debetur, dicens: „Quia obedientia quae majoribus praebetur, Deo exhibetur. Ipse enim dixit: Qui vos audit, me audit.“ Et similiter de tertio humilitatis gradu dicit cap. VII: „Tertius humilitatis gradus est, ut quis pro Dei amore omni obedientia se subdat. Majori, imitans Dominum, de quo dicit Apostolus: Factus obediens usque ad mortem.“

---

<sup>1)</sup> Intellige, spectata animi dispositione quam in ingrediente religionem monastica disciplina requirit. Nisi enim pro amore Christi velit religionem ingrediens Praelato obedire sine mora tamquam Christi vices agentis, non est congrue dispositus ad portandum jugum monasticae disciplinae. Qui ergo aliquid humilitatis habeat, sed ad gradum tertium non pervenerit, poterit quidem in operis executione plus minus obediens esse; sed nisi perfectior obedientia in domo religiosa vigeat, schola christianae perfectionis ipsa nunquam erit.

Notandum porro est, tres primos humilitatis gradus in abnegatione propriae voluntatis vel in obedientia reponi; sed in secundo ac tertio tantum exemplum afferi obedientiae Christi, non in primo, in quo motiva obedientiae minus perfecta proponuntur. Per hunc igitur obedientiae spiritum qui tribus primis humilitatis gradibus continetur, monachus paratus animo est ad obediendum in omnibus sine mora; et promptitudo quidem animi quam habet in gradu tertio ad obediendum Superiori propter Deum, ipsa facit, crescente amore Dei, ut in gradu quarto etiam in rebus arduis obedientiam exequat. Crescente, inquam, amore Dei; nam secus humilitatis perfectio et virtus ad operandum non erit quarti gradus, sed tertii. Quamvis autem de tribus primis gradibus supra dixi quod magis pertinent ad cordis intentionem quam ad operis executionem, a gradu tamen tertio executionem obedientiae sine mora omni ex parte non excludo, quatenus in eo constitutus monachus, eo ipso quod promptum habet animum ad obediendum sine mora obedientiam utique sine mora exequetur, si tamen aliquid non difficile ipsi injungatur: in rebus autem difficilibus non item, nisi virtutis perfectio augeatur. Nec enim raro contingit ut operi quod a se quis praesumit perficiendum, tempore executionis vel inchoando impar inveniatur. Imo etiamsi opus difficile forti animo quis aggrediatur, potest virtus ejus deficere, nova superveniente, etsi non majore, difficultate. Ecce magna fuit fides Petri ambulantis super aquam in virtute Domini; et statim modica facta est in timore venti validi. Meruit quidem ambulare super aquam, quia confidebat in Domino; sed fortasse in ipsa fide sua quidquam de se praesumebat, et ideo permisit Dominus ut experiretur fragilitatem suam, et sic intelligeret se non merito suo, sed potentia Domini conservatum. Itaque tribus primis humilitatis gradibus disponitur monachus ad obedientiam perfectam; et huic perfectionis religiosae fundamento totum superstruitur disciplinae monasticae aedificium; et consequenter, etsi obedientia ex una parte est humilitatis fructus, ex alia vero ab obedientia quae Superiori exhibetur, humilitatis dependet exercitium. Et obedientiam quidem super omnia commendat S. Benedictus dicens in prologo S. Regulae: „Ausculta, o fili, praecepta Magistri, et inclina aurem cordis tui, et admonitionem pii Patris libenter excipe, et efficaciter comple; ut ad eum per obedientiae laborem redeas, a quo per inobedientiae desidia recesseras. Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluntatibus, Domino Christo vero Regi militaturus, obedientiae fortissima atque praeclara arma assumis.“ E quibus S. Patris verbis plane infertur, quod mystica scala qua ipse in coelum nos ascendere dicit, sicut humilitatis, ita et obedientiae gradibus constat. Et sane cum vera humilitas agnitio sit

absolutae nostrae a Deo dependentiae, consequens est ut humilitas exerceatur obediendo vel Deo ipsi directe, vel homini propter Deum. Propter quod sicut sine humilitate, ita sine animo obediendi spiritus Dei, cujus virtute in coelum ascendimus, per orationem non attrahitur: quod significavit David dicens: „Os meum aperui, et attraxi spiritum; quia mandata tua desiderabam.“ Apostolus autem praefatam humilitatis et obedientiae connexionem significat dicens de Domino Jesu: „Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.“ Porro vita Christi via nobis est ascensionis in coelum; et ipsa quidem tota obedientia fuit, quia quae placita erant Patri suo, fecit semper; ut sicut per unius hominis, Adam, inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem, Jesu Christi Domini nostri, justi constituentur multi. Fons enim sapientiae Verbum Dei est in excelsis, id est, in divinitate sua; et hujus sapientiae ingressus vel viae, utique ut divina est, sunt mandata aeterna. Et similiter fons sapientiae Verbum Dei est in humanitate assumpta; et hujus sapientiae ingressus, utique in humanitate ipsa, est obedientia perfecta. Haec est sanctorum scientia, prudentia nempe qua juxta divinae sapientiae ordinationes vitam suam componentes, assequuntur finem creationis suae. Sicut enim divinae sapientiae est rerum ordinem statuere, ita creatae sapientiae est ad hujus ordinis normam cuncta disponere. Propter quod Christus ingrediens mundum, dixit ad Patrem: — Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Tunc dixi: ecce venio ut faciam, Deus voluntatem tuam. — Merito igitur S. P. Benedictus dicit in prologo S. Regulae: „At te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluntatibus, Domino Christo vero Regi militaturus, obedientiae fortissima atque praeclara arma assumis.“ Postquam autem in tribus primis humilitatis gradibus obedientiam posuit S. Benedictus totius disciplinae monasticae fundamentum, pergit declarare in sequentibus qualiter sub eadem disciplina humilitas exercenda sit in conversatione monachi cum Praelato et cum fratribus. Et quoniam monachus praeter obedientiam et orationem paupertatem profitetur atque silentium, ideo in harum virtutum exercitio humilitas monachi manifestetur oportet: et propter hoc profectus monachi in his virtutibus ratio habetur in humilitatis gradibus computandis. Absit ergo ut sive graduum humilitatis numerum in Regula S. Benedicti, sive eorum ordinem aliquid arbitrarium esse dicamus. Quin et pulchre gradus duodecim numerantur; nam qui pro amore Christi in voluntaria paupertate vivunt et sub Praelati regimine ac dominativa potestate, illam a Domino recipient retributionem quam Apostolis suis promisit dicens: Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.